



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

69 Horas recitare omittens ex oblivione, mortaliter non peccat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 68 Sexto, † Missam celebraturus debet vestibus factis, quibus tempore ordinationis fuit consecratus, paratus esse, videlicet, amictu, alba, ciagulo, manipulo, stola, & calula, & contrafaciens excommunicationi subjacet, *cap. ecclesia, 23. dist.* Sed primo est admonendus, ut ibi Archid. & inde ab tempore arbitrio iudicis suspendendus, Diaz. *pract. crim. cap. 38. alias 33. in fin.* Si autem non ex contemptu, aut prava consuetudine, sed semel, oblivionis causa, sine stola, aut manipulo quis celebraret; putarem ipsum verbaliter tantum monendum, & corripiendum, cum memoria sit labilis:
- 69 & tunc non peccat mortaliter † argumento horarum, quas non recitans peccat mortaliter, & tamen, si per oblivionem, venialiter tantum, ut trad. Navarr. post alios per ipsum citatos *de orat. & hor. can. c. 10. nu. 48.* Quid autem, si in Regno Angliæ, & alijs provinciis in quibus sacerdotes, & Christi fideles ab hæreticis persecutionem patiuntur; aded quod Missæ †
- 70 in publico celebrare non possuat, sed latenter in locis remotis, ut tempore primitivæ Ecclesiæ, quam plures, qui propterea palmam martyrij sunt consecuti in cryptis, & subterraneis locis celebrabant, celebrari contingat? tali casu celebrans sine paramentis altaris nullam pœnam incurrit, *c. concedimus, de consecr. dist. 1. Graff. desis. 74. aur. c. 42. nu. 8. par. 1. lib. 2.*
- 71 Nul us † enim sacerdos Missarum solemnium debet celebrare, nisi duobus presentibus, quia cum pluraliter ab eo dicitur *Dominus vobiscum*, & in secretis: *orate pro me fratres*, &c. apertissimè convenit, ut plures respondeant salutationi, *cap. hoc quoque, de consecr. 1. dist. 1.* Sed minister representat universum populum, Tam
- in urgente necessitate, si magnum esset festum, & celebrans alium sacerdotem celebrantem audire non posset, solus in eremo absque ministro posset celebrare, Ant. de Buttr. *cap. 2. num. 11. de vit. & honest. cleric.* præsertim eum dispensatione, ut tenet. Sor. *dist. 13. quest. 10. art. 5. col. 10. relat. per Graff. in decis. aur. c. 43. n. 3. dict. lib. 2.*
- 72 Septimo † in privatis locis Missas celebrare, aut sacrificia offerre non licet, nisi urgente necessitate, *c. sicut, c. Missarum, cap. hic ergo, de consecr. dist. 1. & conc. Trid. de observ. & evit. in celebr. Miss. s. neminem prater ea, sess. 22.* Et contrafaciens sine Episcopi consensu est deponendus, *c. clericus, eadem dist. 1.* Quia fatius est Missam non cantare, aut non audire, quam in locis, ubi ministrare non oportet, nisi pro summa necessitate contingat celebrare. *Deut. c. 12. circ. med. vers. cave ne offeras, & d. c. sicut, ead. dist. 1.*
- 73 Octavo, † sacerdos debet maxima cum attentione, & diligentia Missam celebrare, quia maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter, *conc. Trid. de observ. & evit. sess. 22.* Et si ob ebrietatem, vel voracitatem, Eucharistiam vomeret, septuaginta diebus debet pœnitere, *c. si quis per ebrietatem, de consecr. dist. 2.*
- 74 † Si verò per negligentiam aliquid de sanguine caderet in terram, lingua lambi, & tabula radi debet: si non fuerit tabula, ne conculcetur, locus corradi, & igne consumi, cinisque in altari condi, & sacerdos quadraginta diebus pœnitere debet, *c. si per negligentiam, ead. dist. 1.* Sed hodie, ultra pœnitentiam salutarem, arbitrio ordinarij corrigi, & puniri potest, *conc. Trident. in d. decr. de observ. & evit. in fin.*

Nonò,